



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertio Omnium Articvlorvm M. Lvtheri, Per Bvllam Leonis X. Novissimam Damnatorvm

Luther, Martin

[Basel], 1521

VD16 L 3876

Vicesimvs Secvndvs. Sex generibus hominum, indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles, uidelicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-33308

ARTICVLORVM DAMNATORVM

notuon satisfactio-
nes. *psint*

Si tamen aliquid essent indulgentiæ, quid aliud quam remissiones bonorum operum essent? Nonne remittunt satisfactiones? Quid autem sunt satisfactiones, nisi bona opera, bonæque passiones: ut etiam hac ratione pestilentio res fuerint indulgentiæ, si aliquid essent, quam nunc dum nihil sunt. Quæ fraus sceleratior, quam hominibus bona opera remittere, & licentiam dare pigritadi sub specie pietatis, ad pecunias tantum exogendas?

*similiter omni-
leges homi-*

Rouoco etiam quod dixi eas esse de numero eorum quæ licent: Hoc enim uerum esset, si aliquid essent, quia quod non est præceptum, nec consultum, prorsus nec expedit nec necessarium est, sed mere licitum & arbitrarium, at tales essent indulgentiæ. Nunc autem dico, eas esse de numero eorum, quæ fallunt & perdunt, cum sint nihil nisi fraudes sceleratorum sanguisugarum populi dei.

DECIMVS NONVS.

Indulgentiæ his qui ueraciter eas cõsequuntur non ualēt ad remissionem poenæ pro peccatis actua libus debitiæ apud diuinam iusticiam.

VICESIMVS.

Seducuntur credētes indulgentias esse salutare & ad fructum spiritus utiles.

VICESIMVS PRIMVS.

Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus & proprie conceduntur duris solummodo & impacientibus.

VICESIMVS SECVNDVS.

*Indulgentiæ qd
psint*

Sex generibus hominum, indulgentiæ nec sunt necessariæ nec utiles, uidelicet mortuis seu morituris.

MAR. LVTHERI ASSERTIO.

ris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his qui meliora operantur.

Has propositiones, ut dixi, reuocaui antea, rogauitque, & adhuc rogo, oēs, tum bibliopulos, tum lectores, ut ea quae de indulgentiis disputata & scripta a me sunt, exurant, ne sciebam enim tum, cum ea laborarem, Papam esse Antichristum, qui his & similibus operatiōibus erroris, Satana imperante, orbem perderet Christianum. Fixa est sententia diuina, psal. lxxxviii. Visitabo in uirga iniquitates eorū, qua, indulgentiā, quae uirgam iniquitates uisitantem impiissime praesumunt remittere, funditus subuertuntur, & nihil nisi inane nomen esse monstratur. Nec curanda hominum reproborum distinctio de cerebro suo conficta, de poenis medicatiuis & satisfactoriis: Verba psalmi clare docent, peccata & iniquitates uirga uisitari, Et nemo nisi infans potest negare, uirgam illam esse poenam pro peccatis inflictam, siue hanc satisfactionis, siue alterius negotij dixeris. Non ergo credas, etiam si angelus de caelo aliud docuerit contra tam manifestā scripturā, nedum si Draco blasphemus de curia Rhomana aliud fremat, Non remittet homo aut tollet uisitacionem huius uirgae.

Reuocatio
Lutheti.

Indulgentia uirga
iniquitatis

Summa

VICESIMVSTERTIVS.

Excōicationes sunt tñ poenae externae, nec priuāt hominē cōmunibus spūalibus Ecclesiae orōnibus.

Hāc satis firmiter probaui in sermone de excōicatione, etiā per ipsoꝝ uerba, ubi Papa dicit (lib. vj. de sen. excom.) Medicinalē, & non mortalē, non eradicantem esse excommunicationē. At si priuaret spūalibus cōmunibus bonis, certe mortalis esset, quia animā separaret a deo. Ego aut̄ fortioribus nixus sum, quia in potestate hominis

Gg non